

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Anthropologia Anatomico-Physica

Baumer, Johann Wilhelm

Francofurti, 1784

VD18 11680695

Vorwort

urn:nbn:de:gbv:45:1-16622



PRO O E M I U M.

Tuicet, Benevole Lector, medicina circa exortum suum, accurata historiæ naturalis, anatomiæ, chemiæ ac physices cognitione destituta, debilis & ars coniecturalis haud immerito dicta fuerit; attamen Veteres, in primis Græcos, apud quos aliquanto magis, quam in cæteris nationibus, exculta est, tam naturæ cognitionem, quam artificiosam corporum mortuorum dissectionem etiam atque etiam commendasse, accuratumque in signis morborum cognoscendis describendisque studium adhibuisse, minime negandum est. Postquam autem sæculis proxime elapsis, nostrisque temporibus, historiæ naturali, anatomiæ, chemiæ, pathologiæ



PROEMIUM.

ac therapiæ insignis opera a Philosophis
ac Medicis navata est; res longe aliter se
habet, & medicina inter scientias probe
fundatas, ac reipublicæ in primis utiles,
meritum locum, suo iure, occupat: Nam,
ut ut diæ disciplinæ auxiliatrices Medicos
non faciant; aptiores tamen medicinæ
procul dubio reddunt. Omni etiam Re-
centiorum conamina laude digna sunt,
quod, repudiatis hypothesibus, harum-
que centonibus, experiens experimentisque
litent, atque ex his accurate captis,
ac probe pensatis, dogmata rationalia de-
mum deducant: Quis enim, accuratam
naturæ cognitionem, corporumque mor-
tuorum incisionem, viscerum intestino-
rumque scrutationem, eorumque positus
atque ordinis notitiam oppido necessarias
esse, non perspiciet? Quis porro, illis
destitutus, de rerum naturalium viribus
atque usu recte iudicabit? aut quis, si do-
lor intus incidit, scire potest, quid doleat,
quæ remedia extrinsecus rite exhibenda;



PROÆMIUM.

aut quomodo intrinsecus succurrendum sit, qui, qua in parte quodvis viscus intestinuve sit, non cognoverit? His autem rite investigatis, quomodo vires & corporis actiones eveniant, & qua ratione morbis, inter hæc nascentibus, occurrentum, vel iam præsentibus medendum sit, demum perspicere possumus. His sane fundamentis pathologia ac therapia medico-chirurgicæ prudenter superstructæ insignem mortalibus, in multiplicibus suis miseriis, spondent operam. In ipsa autem medicina facienda assiduis accuratissimisque observationibus, & peracri iudicio practico opus est, ut, cognita morbi caussa, convenientissima, quovis morbi tempore, adhibeantur remedia, salutaria naturæ molimina prudenter adiuvemus, nec unquam redamus a rectis illius vestigiis. Ipse vero arctior disciplinarum auxiliaticum & medicarum nexus desiderare videtur, ut proxime cognatae simul pertractentur; id quod, dissentibus egregium intellectus ac



PRO~~E~~MIUM.

memoriæ adminiculum esse, videtur: v.c. perspecta partis cuiusdam structura & connexione, natura & actio eius commodissime declaratur ac intelligitur, morboque cum suis signis caussisque accurate cognito, expeditissimam rectissimamque medendi viam ingredimur. Hanc ob causam, anatomica ac physiologica, ac dein pathologica ac therapeutica, haud inconcinnne sibi invicem subiungi posse, arbitror; licet disciplinæ cognatae hoc modo inter se copulatae longius exercitium desiderent. Dari autem quoddam genus hominum, omnia quam brevissime, & quasi per saltum, transfigenda esse, arbitrantium, me quidem non fugit; sed ne cum canibus festinantibus cœcos catulos pariant, illi ipsi videant, & sic humani generis saluti non bene, sed pessime, consulant. Cum in alma celeberrimaque Academia Erfurthina medicinam profitebar, atque theatro anatomico præoram, insignis corporum humanorum mortuorum copia adfuit, fin-



PROÆMIUM.

gulisque annis omnes anatomiæ partes, per plures dierum horas, tractabantur, visaque & reperta sollicite consignabantur. Quæ tum temporis, laboribus Dominorum Philosophiæ & Medicinæ Professorum egregiis studia philosophico-medica simul laudabiliter adivantibus, non solum notabilem Studiosorum medicinæ frequen-tiam invitavit solideque, in reipublicæ commodum, eruditivit; sed etiam his meis thesibus anatomico-medicis, nunc demum edendis, uberem materiam præbuit; quib-^{us} conaminibus auctorum anatomico-rum probatissimorum, in bibliotheca mea servatorum, observationes a me accurate citatæ, suisque inventoribus redditæ, ac-cedunt. An respectu ordinis materia-rum, orationis & stili, rerum mearum fategerim, horum peritos iudices facio, illosque insuper rogo, ut, si forte alicubi a recto tramite recesserim, me haud in-vitum, sed potius gratum, in viam redu-cant. Invidorum autem cavillationes mi-



PROEMIUM.

nime, pro more haetenus servato, curaturus sum; cum reipublicæ, animum meum satis occupanti, tempora mea, non autem illorum næniis, dicata sunt. Summo Numine, ut haetenus, integras mentis corporisque vires clementer largiente, iam in eo occupatus sum, ut, medicina per septem lustra strenue facta, collectis, que meis observationibus practicis, funda-
menta pathologico-therapeuticā ponam,
eaque cum Philiatris sedulo communicem.
Tu vero, Benevole Lector, semper felici-
ter agas, atque conaminibus nostris favere,
pergas.

Dabam Giessæ pridie Calend. Septembr.
M DCC LXXXIII.





CAP. I.

*De homine eiusque natura & actionibus
generatim agens.*

§. I.

Corporis humani partes, earum structu- *Anatomia*
ram, positum, figuram atque conne- *& Phy-*
xionem scientia illud artificiose dissecandi, *siol. differ-*
Anatome, at naturam, cum actionibus inde
fluentibus, *Physiologia* docent. Cum hæc
sine illa manca sit; anatomicam cuiuslibet
partis eamque brevem quidem, at sufficien-
tem, descriptionem primum dabo, atque
dein ad eius vim naturalem & actiones tran-
sibo, & quidem, quantum fieri potest, eo-
dem ordine, quem natura, dum aliæ ex
aliis fluunt, observat.

§. II.

Ex corpore organico, vivo, & mente *Essentia*
rationali, quæ actionibus suis inter se con- *hominis.*
spirant, homo constat. Mentis essentiam
concipere atque declarare non possumus,
eius autem naturam vi cogitandi absolvı, ex
actionibus eius intelligere licet.

A

